

nullo modo concedendum est quod sit aliud ab essentiæ, licet sit alia ratio relationis, et essentiæ, et omnis perfectio, et bonitas secundum D. Thomam I par. qu. v, art. II, sumitur ex ordine ad esse, oportet quod secundum D. Thomam perfectio, et esse relationis, etiam ut relativum, non multiplicetur.

XI. Denique, videndus est s. doctor in I, dist. xxxiii, quæst. I, art. I ad II, ubi inquit, quod: « Sicut in Filio est esse essentiæ, est esse paternitatis, quia in divinis non est nisi unum esse. » Ubi manifestum est, quod condistinguendo esse essentiæ ab esse paternitatis, non potest accipi esse paternitatis, nisi pro esse relativo: dicit autem s. doctor quod sicut est in Filio esse essentiæ, ita est esse paternitatis: ergo illudmet esse relativum quod est Patris, et Filii, et non solum esse absolutum quod est essentiæ. Et reddit rationem, quia est tantum unum esse: ergo sentit, quod esse relativum est tantum unum, et non multiplicatur etiam ut distinguitur ab esse essentiæ. Perfectio autem relativa regulatur penes esse, seu actualitatem relativam, sicut perfectio absoluta penes esse, et actualitatem essentiæ: ergo sentit D. Thomas non multiplicari perfectionem relativam in Deo, licet multiplicatur respectus, et relatio distinguatur: nam postquam D. Thomas dixit quod esse paternitatis est in Filio, quia est tantum unum esse, subdit, quod: « Paternitas habet rationem paternitatis quæ est alia a ratione essentiæ: unde secundum suam rationem potest respectus esse in Patre, et non in Filio, scilicet distinguere Patrem a Filio. » Ecce quomodo officium distinguendi secundum rationem respectus, et relationis fatetur D. Thomas esse in relationibus divinis, non distinguendo, nec multiplicando esse ipsius relationis seu paternita-

tis ut distinguitur ab esse essentiæ: ergo pari forma perfectio relativa non multiplicabitur, licet relatio secundum oppositionem multiplicetur realiter.

XII. Rationem hujus ex ipsis visceribus naturæ relationis videtur reddidisse S. Thomas cum ait qu. viii de potentia, art. I ad XII, quod: « Cum relatio sit accidens in creaturis, esse suum est inesse; unde esse suum non est ad aliud se habere. » Quæ ratio fortius currit in divinis, quia si in creaturis esse relationis est inesse, in divinis est subsistere, unde esse suum non est ad aliud, si quidem in se subsistit, et ad se est illud esse prout subsistens: sed tota ratio multiplicandi relationes seu respectus, est oppositio, et correspondentia ad suum correlativum: ergo si ipsum esse relationis solum est per ordinem ad subjectum, quando est accidens inhærens, vel per ordinem ad se si est subsistens, manifeste deducitur, quod tale esse in vi oppositionis relativæ multiplicari non potest: ergo si in Deo ex nullo alio principio potest multiplicari aliquid, quam ex oppositione relativa, ubi illa cessat, cessat multiplicatio; quod non est in creatis, in quibus cum relatio addat esse accidentale supra ipsum subjectum, seu fundamentum, potest multiplicari relatio ex diverso esse limitato quod habet quælibet relatio, etiam ex parte sui fundamenti, et in ordine ad subjectum, non multiplicata oppositione correlativa: nam etiam relationes disparatæ, et non correlativæ multiplicantur in aliquo subjecto, et non per oppositionem correlativam inter se, quod in Deo non contingit, quia si relationes aliquæ non opponuntur, hoc ipso identificantur, ut patet in paternitate, et spiratione activa. Si ergo ex parte fundamenti, et esse quod ex illo relationes habent, non datur aliqua oppositio in relatione

divina cum suo fundamento, ex hac parte multiplicari non possunt, quia deest multiplicationis principium, quod est oppositio. Ergo si tota perfectio relationis, etiam ut relativa ex fundamento, et subjecto desumitur, repugnat multiplicari in ratione perfectionis, licet in ratione respectus oppositi et distinguentis multiplicentur.

Confirmatur, quia bene stat relationem in Deo distingui, et opponi cum alia sibi correlativa in ratione respectus oppositi, et tamen in ratione entitatis relativæ, et aliarum perfectionum etiam relativarum identificari cum aliis relationibus, quibus non opponitur, ut patet in spiratione activa, quæ opponitur Spiritui sancto procedenti, non autem opponitur, sed identificatur etiam quoad rem relativam, et esse relativum cum paternitate, et filiatione, quibus non opponitur: ergo si ipsæ relationes personales non opponuntur in perfectione relativa prout hausta, et imbibita a fundamento, in quo oppositionem non habent, sed solum prout opposita termino, seu correlativo, non est mirum quod in ipsa perfectione prout relativa identificentur, et unum sint, licet relationes in officio distinguendi, et opponendi correlative sint plures.

XIII. Dices: Etiam relatio ex termino non habet realitatem, et tamen multiplicat illam, licet terminus non præbeat illam: cur ergo non multiplicabit perfectionem, licet ex termino non habeat illam, sed ex fundamento?

Respondetur quod licet ex termino non habeat relatio realitatem quoad esse ut ex D. Thoma primo ad Annibaldum, dist. xxvi supra vidimus, tamen circa illum habet oppositionem realem, et consequenter distinctionem realem, quæ formaliter sequitur ex oppositione, ut ex ipso D. Thoma qu. viii de potentia,

art. I ad III, supra etiam retulimus. At ita perfectio relativa neque habet realitatem ex termino, neque oppositionem. Non realitatem, quia hanc ex fundamento sortitur, quia ab illo habet existentiam, et illud respicit ut perfectibile suum, et radicem a qua oritur, quod non habet in termino. Non oppositionem, quia perfectio relationis non convenit, neque exercetur per ordinem ad terminum, sed ad fundamentum, ratione cuius habetur: terminus enim non comparatur ut perfectibile vel perfectivum respectu relationis, sed ut aliquid mere contrapositum, et correlativum quod respicit, non quod perficit, quia nihil in termino ponit, nec terminus in relatione, sed solum contraponuntur, et se respiciunt, fundamentum autem perficitur a relatione, quia in eo ponitur, et perficit relationem, quia ab eo oritur. Ubi ergo relatio non habet esse inhærens subjecto, et limitatum, atque distinctum a fundamento, et alias ei non opponitur, non potest multiplicare perfectionem quam habet ex illo in realitate sua. Relationes autem divinæ in fundamento non opponuntur, quia fundamentum est aliquid absolutum: nec enim fundantur super alia relatione. Absoluta autem in Deo nec opponuntur, nec multiplicantur: ergo nec perfectiones ex fundamento relationibus convenientes.

XIV. Quod si his adjunxeris doctrinam S. Thomæ supra q. v, art. III ad III, quod non est inconveniens, quod alicui enti sub aliqua consideratione, vel formalitate non conveniat bonitas, licet in re conveniat, quia bonitas sequitur ad ens, non quomodocumque, sed sub ea ratione qua explicat esse, et actualitatem, qua potest allicere, et movere voluntatem, sicut mathematica sub ea abstractione bonitatem non explicat, quam tamen in re habent

in ratione quantitatis naturalis, videbis quomodo intelligi possit quod relatio habens in se perfectionem ex suo fundamento, si tamen ab eo non distinguitur sicut relationes divinæ, non distinctam neque multiplicatam perfectionem habeant ex ipso. Ex comparatione autem relationis ad terminum sortitur quidem oppositionem, et distinctionem in respiciendo, sed non in perfectione, et actualitate, quia hanc non exercet sub formalitate ad terminum, licet in se, et in re perfectionem habeat, sed unicam non multiplicatam, quia comparatione ad subjectum illam habet. Ratio autem p. Vasquez probantis ex eo perfectionem relationum esse unam, quia integrant, et constituunt eandem perfectionem Dei, parum urget, quia non bene sequitur ex hoc, quod saltem inadæquatam bonitatem non habeant, quia ipsum integrare bonitatem; perfectio, et bonitas est; sicut etiam attributa Dei eandem indivisibilem Dei bonitatem integrant, et tamen unumquodque in sua linea, et formalitate perfectum est, ut etiam contra ipsum Vasquez probabile esse sentit Alarcon tract. v, disp. iv, c. iv, num. x.

XV. Ex his habes intellectam propositionem S. Thomæ in articulo primo hujus quæstionis quæ multis obscura visa est, scilicet quod solum in his, quæ sunt ad aliquid, invenitur secundum propriam rationem, aliquid secundum rationem, et non realiter, quod in aliis generibus non est invenire. Quod difficultatem habet, eo quod si loquitur D. Thomas de relatione prædicamentali, seu de ipso prædicamento, constat falsum esse, quia prædicamentum relationibus constat, nec in illo relationes rationis dari possunt. Si autem loquitur de relatione prout abstrahit a reali, et rationis, quid mirum quod in ea possit inveniri relatio non rela-

tio non realis? Sed hoc etiam in aliis generibus invenitur: quantitas enim ut abstrahit a reali, et imaginaria, etiam quantitatem rationis admittit, et locus ut abstrahit a vero vel imaginario, etc.

Sed respondetur D. Thomam nunquam dixisse quod in prædicamento relationis invenitur relatio rationis, ut aliqui non attendentes ad verba S. Thomæ male referunt, sed solum dicit quod: « In his quæ sunt ad aliquid invenitur aliquid rationis; » et sensus est, quod relatio ex illa parte qua exercetur ad terminum, et tangit illum non ponit realitatem nec excludit, aut tollit eam, ut S. Thomas se declaravit in primo ad Annibaldum, dist. xxvi supra relata. Et ideo pro ea parte præcise considerata relatio, et non attendendo ad fundamentum, non repugnat dari relationes rationis: et sic loquitur de relatione non adæquate considerata, et secundum omne quod includit tam ex parte subjecti, et fundamenti, quam termini, sive prout est in prædicamento, sive prout abstrahit a reali, et rationis, sed de relatione præcise, et inadæquate considerata sub illa præcisa formalitate qua exercetur ad alterum. Quod non contingit in aliis generibus, in quibus si aliquid rationis, et imaginarium invenitur, non est ex ipso conceptu aut formalitate talis generis, quæ de se locum det entitati non reali, sed quia nos aliquas negationes, et meras fictiones ad instar entium realium effingimus, sicut montem aureum, chimæram, lineam infinitam, et similia, non quia ipse mons, aut aurum, aut linea, de se in aliquo conceptu realitatem non explicent, sed quia illa quæ nihil sunt ad instar istorum quæ realia sunt imaginamur. Relationem vero per hoc præcise quod inadæquate consideremus, id est, pro ea parte so-

lum, quæ consideratur ad terminum, reddere possumus non realem, tollendo id quod est ex parte fundamenti, unde tota ejus realitas desumitur.

XVI. Ad fundamenta opposita pro ea parte qua probant nostram conclusionem, scilicet relationes dicere perfectionem, admittimus. Pro ea vero parte qua impugnant, scilicet vel probando quod non dicat illam, vel quod multiplicentur, respondetur.

Ad primum pro prima sententia respondetur, quod relatio ut relatio, et ut opposita suo correlativo perfectio est in se entitative, vel subjective, sed non terminative, hoc est habet in se perfectionem, et retinet, sed ex subjecto, et fundamento desumptam, non ex termino, nec ratione termini; unde non est necesse quod multiplicet perfectionem, sed solum terminationem, quia solum respectu termini oppositionem habet, quæ oppositio realis est respectu termini, et realiter exercetur erga terminum, sed non oritur ejus esse, et realitas ex termino, sed ex fundamento. Nec est mirum quod in eadem entitate relativa multiplicemus respectus, et non perfectiones, cum etiam non multiplicemus essentias, licet ipsa relatio, sit omnino identificata cum essentia divina. Et ad id quod opponitur contra istam instantiam seu exemplum dicitur nihil evincere, quia licet ly essentia non sit terminus relativus formaliter, est tamen relatio identice; et sic licet non explicetur essentia in explicito conceptu relationis, præsupponitur tamen, et includitur in illo. Similiter perfectio, etiam relativa, includitur in conceptu relationis, sed non explicatur in ordine ad terminationem, quia solum convenit relationi eo modo quo convenit illi esse, et actualitas, quia bonitas, et perfectio sequitur

ad ens, non prout in potentia, sed prout in actu, et in esse. Habemus autem regulam supra datam ex D. Thoma q. viii de potentia, art. i ad xii, quod quia esse relationis est inesse, non habet esse per ordinem ad aliud, sed per ordinem ad subjectum seu fundamentum. Et ita perfectio, seu esse etiam relativum non multiplicatur, quia non opponitur, nec competit relationi sub conceptu explicante oppositionem, et exercitium ad terminum. Quare eodem modo loquendum est de perfectione relativa, atque de essentia, quia ex fundamento quod est essentia sumitur perfectio in relatione. Et ad consequentiam de subsistentia, quæ multiplicatur multiplicata relatione, dico quod subsistentia prout distinguitur ab existentia solum dicit terminum naturæ prout incommunicabilem, incommunicabile autem dicit oppositionem; et sic sub ipso formali conceptu distinctionis constituitur subsistentia; atque adeo non mirum quod multiplicetur in ratione, et conceptu subsistentiæ licet non in ipso esse, seu perfectione: in hoc enim habet se ut relatio. Perfectio autem non dicit incommunicabilitatem de se, nec convenit relationi, prout opposita correlativo, sed prout fundata in suo fundamento, et ex hæc parte habet unitatem, non multiplicationem.

XVII. Ad secundam rationem respondetur stare pro nobis, et probare quod perfectio relationis invenitur quidem, sed non multiplicatur in tribus Personis. Cum quo tamen stat, quod relatio, etiam in ipso ad perfectionem habet imbibitam, sicut et realitatem, et entitatem, non tamen multiplicat perfectionem, quia ipsum ad intrinsece habet imbibitum suum fundamentum, et suum in, et quidquid ratione fundamenti sibi competit, sed præter fundamentum etiam tangit terminum ut cor-

relativum. Et quidquid sibi convenit pro parte, et consideratione tangendi terminum, multiplicatur, ut est distinctio, et oppositio correlativorum; quidquid autem pro parte, et consideratione fundamenti sibi convenit, non multiplicatur, quia inde oppositionem non habet, licet in ipso ad semper includatur, et inveniatur, sicut invenitur, et identificatur essentia, sed non multiplicatur.

Ad ultimum dicimus probare nostram conclusionem pro ea parte qua non multiplicamus perfectiones etiam relativas, et etiam in ipso ad, quia perfectio competit ipsi ad, ut fundato, et ratione fundamenti, non vero explicatur in ipso ut terminato, seu in ordine ad terminum.

XVIII. Ad primum pro secunda sententia respondetur, quod multiplicata entitate multiplicari debet quod ad eam sequitur, distinguo; si sequatur sub ea formalitate, et consideratione qua multiplicatur entitas, concedo; si sub ea qua non opponitur, nec distinguitur, sed identificatur, nego. Perfectio autem sequitur relationem ut fundatam, et ex parte fundamenti, ut dictum est, quia inde habet esse, et actualitatem, et consequenter perfectionem: ex parte autem fundamenti neque oppositionem habet, neque distinctionem. Et sic si relatio adæquate, et ex omni parte multiplicaretur, id est, tam ex parte sui correlativi, quam ex parte sui fundamenti; tam ex parte oppositionis, quam foundationis, bene sequeretur multiplicari perfectiones; sed in divinis relatio solum multiplicatur ubi obviat oppositio; ideo non amplius extenditur ista multiplicatio, quam extendatur illa oppositio; et sic quantumcumque alia prædicata identificentur, vel consequantur, aut imbibantur in relatione, si ad illa, pro subsunt

suæ præcisioni, et formali rationi, non extenditur oppositio, non valet inferre, quod extendatur ad illa multiplicatio; et sic in istis relationibus divinis facile argumenta peccant fallacia accidentis, arguendo ab his quæ sibi competunt, in quantum distinctæ, et oppositæ sunt, ad ea quæ sibi competunt, vel absolute, vel in quantum non oppositæ. Concedimus ergo relationes esse tres res, vel tres entitates oppositas relative, quia oppositio realiter, et entitative exercetur ad terminum, non ficte; et sic etiam ut opposita relatio, et ad terminum realis est. Cæterum quando concedimus has res esse bonas, et veras, et perfectas, non tamen esse bonas dicimus perfectione, veritate, aut bonitate multiplicata, sed eadem, quia in bonitate, et veritate non opponuntur. Et sic ista attributa conveniunt relationibus, seu realitatibus oppositis, sed non oppositis, quia in his non datur correlatio: sicut etiam eadem essentia, et substantia, et divinitate substantiales, et divinæ sunt, quia in substantia, et deitate oppositionem non exercent. Unde ad confirmationem seu instantiam hujus primi argumenti respondetur, quod relatio prout distincta, et opposita suo correlativo, est capax perfectionis, sed non est capax dividendi perfectiones, quia in ea non fit oppositio, sicut filiatio ut distincta, et opposita paternitati est capax divinitatis, non tamen est capax dividendi divinitatem, quia non potest in illa fieri oppositio. Et cum instatur: Prout sic, scilicet ut opposita, est capax perfectionis: ergo est capax distinctæ perfectionis; negatur consequentia, quia ut esset capax distinctæ perfectionis, deberet esse capax dividendi perfectionem, et ad hoc necesse erat facere oppositionem in ratione perfectionis. Dicitur ergo prout distincta, capax perfectionis,

quia retinet, et includit illam, si quidem includit suam realitatem, sed non opponit illam, neque in vi oppositionis illam explicat, sed solum includit, sicut includit divinitatem, et rationem entis increati, et sapientiæ, et æternitatis, non tamen habet vim opponendi illa, neque in vi oppositionis correlativæ ista explicat, licet includat, sed solum explicat ipsum ad, reale, non fictum respectu termini in respiciendo, et nihil amplius.

XIX. Ad secundum concedimus mysterium Trinitatis, atque non solum unitatem essentiæ, quoad absoluta, sed ipsas etiam Personas quoad relativa perfectionem dicere, sed non multiplicatam, sed eandem, quæ ad omnes pertinent relationes, omnesque perfectas reddit, sed non distinguit perfectiones, quia in illis non fit oppositio, et correlatio, quatenus perfectiones sunt. Et ad instantiam quæ urgetur, dico quod paternitas, ut distincta a filiatione, est perfectio in Deo, distinguo; perfectione opposita, et distincta a perfectione filiationis, nego; perfectione non opposita, sed identificata cum perfectione filiationis, concedo, et perfectio quam habet filiatio, ut distincta est perfectio simpliciter simplex, sed non est perfectio distincta. Et sic filiatio ut distincta in ratione filiationis adhuc retinet, et includit perfectionem non distinctam in ratione perfectionis, quia nec oppositam. Unde variatio illius particulæ ut distincta, quæ modo cadit super filiationem distinctam, modo super perfectionem distinctam, variat appellationem, sicut instatur illa consequentia: Paternitas ut distincta a filiatione est Deus, seu est divina: ergo habet distinctam divinitatem a filiatione; consequentia non valet, et tamen antecedens est certum, quia paternitas ut distincta a filiatione est ens singulare, et determinatum,

non ens creatum: ergo divinum. Idem ergo de perfectione dicimus. Dicta sanctorum patrum probant relationes ad perfectionem deitatis pertinere, sed non ad distinctam. Dictum autem Damasceni, quod Pater, et Filius perfectionibus personalibus distinguuntur non sic invenitur in illo loco citato a Suarez, sed dicit quod: « In proprietatibus paternitatis, et filiationis, et processio- nis Personæ perfectionem, id est, existendi modum agnoscimus. » Ubi Damascenus se explicavit quid nomine perfectionis intelligat, scilicet existendi modum; quod vero ista perfectio relativa multiplicetur, nec in numero plurali nominetur, non dicit. Ad locum ex epistola Agathonis dicitur nos etiam fateri esse divinitatem in tribus Personis perfectis, imo et divinis, sed non diversa, et multiplicata perfectione, sicut nec multiplicata divinitate.

XX. Ad tertium respondetur esse tres subsistentias relativas in ratione termini incommunicabilis, sed unius perfectionis communicabilis, etiam relativæ, quia perfectio relativa communicabilis est, ut pote non opposita in genere perfectionis. Et sic etiam tres subsistentiæ in quantum incommunicabiles, et distinctæ important perfectionem, distinguo (sicut de relationibus diximus); important perfectionem etiam incommunicabilem in ratione perfectionis, nego; communicabilem in ratione perfectionis, licet subsistentia, et relatio, quæ perfectionem includit incommunicabilis sit in ratione respectus, et terminationis, sed non in ratione perfectionis, transeat.

Ad primam confirmationem quod si esset una tantum subsistentia, esset perfecta, et modo tres subsistentiæ, et relationes etiam perfectæ sunt, sed non diversa perfectione, sed eadem, eo quod in ipsa perfec-